



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 70. Fœderatorum exercitus pecuniis destitutus, sed a Mediolanensibus
adjutus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

etiam eorum confiliis, ignarus licet, Sæcul. XVI. A.C. 1523.
deserviret; quapropter ubi communis omnium Pater esse debuisset, brevi partium studio abreptus aperte Gallis ad-
versabatur.

§. LXIX.

*Soderinus Cardinalis Papæ jussu
comprehensus.*

Haud obscure suum in Gallos odium prodebat Adrianus, dum Cardinalem Soderinum natione Florentinum durius habebat, eoquod hic, ut Gallis ad invadendum Siciliæ Regnum viam pararet, clandestina cum Siculis confilia fovisset, datisque literis Santonen-
sem Episcopum instigasset, ut Franciæ Regem de opportunis Siciliam occupandi mediis edoceret; ast nuncius proditorias literas deferens, cum interceptus Hispaniæ Ministris traderetur, tormentorum vi cunctos conspirationis confcios prodidit; unde Soderinus Cardinalis de perduellione convictus Pontificis jussu in arcem S. Angeli coniectus est.

Petr. de Angler. ep. 781.
Guic. l. 15.

§. LXX.

Fœderatorum exercitus pecuniis destitutus, sed a Mediolanensibus adjutus.

Detecta hac conjuratione ferme eadem

Sæcul. XVI.
A.C. 1523.

Guic. l. c.

dem Hispanis accessit felicitas, quam fuit ipsa Siciliæ conservatio; inde enim Pontificem suo foederi adjungendi propitiam nacti erant occasionem, cujus accessu eorum Societas numero atque auctoritate plurimum augebatur, præcipue, ubi paulo ante ipsi quoque Veneti sese palam Gallorum hostes profitebantur. Nihilominus Rex Christianissimus Mediolanensem Ducatum recuperaturus, Bonnivetum Admiralem cum recenti militia eo decrevit, qua re comperta Hispani haud parum turbabantur, eo vel maxime, quod ære militari carerent, brevi tamen pecunias Francisci Sfortiæ nomine mutuo datas accipiebant; quippe cives Mediolanenses vasis convivalibus argenteis, gemmisque oppignoratis centum aureorum millia Duci suo suppeditabant, quæ summa mox foederatorum copiis dabatur, ea lege, ut pecunias adhucdum residuas haud ultra exigerent, ac totius proximi belli stipendia mererentur. Hanc conditionem lubenter acceptabant foederati, necdum tamen eorum Exercitus Gallorum copiis, quas ad quinquaginta armatorum millia ascendere dicebant, resistendo par erat, atque ipse Columna Foederatorum Dux de suorum salute actum fore prospiciebat, si tum urgente
rerum

rerum necessitate prælii discrimen cum Secul. XVI.
Gallis, Venetisque experiri cogeretur. A.C. 1523.

§. LXXI.

*Fœderatorum molimina ad Venetos a
Gallorum studiis avocandos.*

In his rerum angustiis nil opportunius accidebat, quam ut Veneti impedirentur, ne fœdus, cujus finiendi tempus, ad quod initum erat, prope adventabat, rursus cum Gallis innovarent. Nec huic consilio spes magna de erat; nunciatum enim erat Columnæ, Morentiacum a Senatu absque responso fuisse dimissum, postquam Veneti fuerant edocti, quod Lescunus Marescallus Cremonæ urbis deditioem fecisset, & Galli Mediolanensem arcem hosti tradidissent.

Nec tamen inde Franciscus Rex animo fractus, repentinam Hieronymi Adornii mortem in rem suam vertere meditabatur. Mortuus erat ille, dum pro Imperatore apud Venetos legatione fungeretur, paucis post Morentiaci discessum diebus apoplexia tactus: Igitur comperto ejus obitu Rex nulla mora Bajocensem Episcopum eo ablegabat, ut conditiones illis, quas antea rejecerant, magis amplas Venetis offerret.

§. LXXII.